

quod obligatur, inutile aique irritum. Queritur, cum filius defuncti mutuum pecuniam a Flavia Dionysia acceperit, et locatis ædibus pro parte sua, pensiones sibi debitas creditrici delegaverit, an conditio testamenti extitisse videatur, ut filiis suis fideicommissi nomine teneatur? Respondi, secundum ea quae proponerentur, non extitisse. — § 16. Matre et uxore heredibus institutis ita cavet. *At, uxor carissima, peto, ne quid post mortem tuam fratribus tuis relinquas: habes filios sororum tuarum, quibus relinquas: sis unum fratrem tuum filiam nosorum occidisse, dum ei rapinam facit: sed et alius mihi deteriora fecit.* Quæro, cum axor intestata decessit, et legitima ejus hereditas ad fratrem pertineat, an [sororis] filii fideicommissum ab eo petere possint? Respondi, posse defendi, fideicommissum deberi. — § 17. *Lucius Titius hoc meum testamentum scripsi sine ullo jurisperito, rationem animi mei potius secutus, quam nimiam et miseram diligentiam: et si minus aliquid legitime minusve perire fecero, pro jure legitimo haberi debet hominis sani voluntas:* deinde heredes instituit. Quæsitum est, intestati ejus bonorum possessione petita, an portiones adscriptæ ex causa fideicommissi peti possunt? Respondi, secundum ea quae proponerentur, posse.

89. *Idem*, [lib. 4 Responsorum].

Testamento filium et uxorem suam heredes instituit: postea epistolam scripsisse dicitur, qua et quiddam in peculio habuit filius, ei donavit, et adject, *præcipua hæc eum, suique juris, et post mortem suam habere velle.* Quæro, cum testamento significaverit, si quid obsignatum recepisset, id vice codicillorum valerit, epistola autem non sit obsignata: an quæ epistola continentur, ad filium pertineant? Respondi, si fides epistolæ relicta constaret, deberi, quæ in eam dare se velle significavit. — § 1. Qui indivisam cum fratre suo rem habebat, filias suas heredes instituit, et ita cavet: *Propter res universas, quæ mihi cum illo fratre meo, patre vestro, communes sunt, quas estimationis constitit esse universas duo milium aureorum: fidei vestræ committo, uti pro portione vestra mille aureos a Lucreto Pacato patre vestro accipiat:* huic testamento quinquennio supervixit, et abunde patrimonium reliquit. Quæsitum est, an heredes Lucretii Pacati secundum verba superscripta offerentes mille aureos, fideicommissum consequantur? Respondi, secundum ea quae proponerentur, non facere voluntatem, ut universa datis millenis aureis restituerentur: sed estimationis, quæ mortis tempore in rebus fuerat, oblationem deberi fieri. — § 2. Scio, quem heredi substituerat, ita legavit: *Scio, si mihi heres non erit, et uxori ejus Marcellæ, argenti libras quindecim dari volo.* Quæro, cum Seius heres extiterit, an Marcellæ legati dimidia portio debeatur? Respondi, secundum ea quae proponerentur, deberi. — § 3. Lucius Titus intestatus moriturus, cum haberet uxorem, et ex ea filiam emancipatam, codicillis hæc verba inseruit, *Pertinent [autem] hi codicilli ad uxorem et filiam, primum [autem] rogo, sic inter vos agatis, ut me vivo egistis: itaque rogo, ut quiddam aut ego reliquero, aut quod vos ipsæ habeatis, commune vobis sit:* filia intestati patris bonorum possessionem accepit. Queritur, an aliqua pars hereditatis Lucii Titii ex causa fideicommissi a filia matri deberetur, et quota? Respondi, secundum ea quae proponerentur, dimidiam partem deberi, si modo uxor parata sit in commune bona sua conferre.

§ 4. Quatuor filios æquis partibus instituit, et fundum per præceptionem singulis legavit: filii, cum universa bona patris obligata essent, mutua accepta pecunia hereditario creditori solverunt, et posteriori obligaverunt: qui, cum ei debitum non solveretur, prædia universa, lege pignoris, uni ex heredibus vendidit. Queritur, an cum iste filius ex causa emptionis ea possideat, fratribus et coheredibus fideicommissi petitio esset: an vero ea perempta esset, cum communiter universa sequenti creditori obligaverint? Respondi, actionem quidem fideicommissi in personam competentem omnibus invicem manere: non autem<sup>61</sup> fideicommissum restituendum est, nisi prius debitum ab eis emptori, eademque coheredi persolveretur. — § 5. Filia fideicommissi in hæc verba, *Peto a te, filia mea, ut dotalem cautionem post mortem meam mutes, et ita renoves, ut fratres tui dotem stipularentur hoc casu, ut si sine liberis uno, pluribusve in matrimonio moriatis, dos ad eos perveniat:* post mortem patris decessit maritus, antequam renovaretur cautio dotalis: et postea alii nupta decessit, nullo liberorum relicto, vivo adhuc Titio uno ex fratribus: quæsitum est, an Titius petitionem haberet rerum, quæ in dotem fuerant? Respondi, posse fideicommissum ab heredibus sororis peti, si per eam stetit, quo minus dotem frater stipularetur. — § 6. Fi-

61. L. 14, § 2, supr. de legat. 1. — 62. L. 78, in pr. infr. ad SC. Trebell. — 63. Arg. L. 65, in pr. supr. de rei vind. — 64. L. 16, infr. de auro. — 65. L. 65, supr. h. t. — 66. L. ult. supr. de transact. L. 1, in fin. supr. de pignit.  
L. III. — 1. L. 14, in fin. supr. qui testam. facere poss. — 2. Excep. L. 11, § 1, supr. de testam. milit.; L. 9, supr. de jure codicill. — 3. L. 13, supr. qui testam. facere poss. —

lium et filiam heredes instituit: et libertis legata dedit, eorumque fidei commisit in hæc verba, *A vobis peto, ut quiddam vobis legavi, contenti sitis viventes, ut post vos filiis meis restituant:* defuncta testatrix filia Mævia libertus decessit, herede instituto patrona filio ex parte debita, ex altera extraneo: quæsitum est, an adita hereditate, patronæ filius a coherede suo partem eorum, quæ ex testamento matris ad Mævium libertum pervenerant, petere potest? Respondi, ejus quod ei deberetur, si<sup>64</sup> hereditatem non adisset, partem a coherede petere posse. — § 7. Maritus uxorem ex asse heredem instituit, cujus post mortem codicillos aperiri testator præcepit: prædium hereditarium uxor infructuosum rationi suæ existimans<sup>65</sup> vendidit: emptor quærit, an retractari hæc venditio possit post mortem mulieris ab his, quibus codicillis per fideicommissum hereditas data deprehenderetur; an vero solum quantitas pretii ab herede uxoris fideicommissarii debeatur? Respondi, propter justam<sup>66</sup> ignorantiam tam mulieris, quam emptoris, heredem mulieris, ut fundus apud emptorem remaneat, fideicommissario pretium dare debere.

### LIBER TRIGESIMUSSECUNDUS.

#### [LIBER TERTIUS].

#### DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS.

1. ULPIANUS, [lib. 1 Fideicommissorum].

Si incertus<sup>1</sup> quis sit, captivus [sit], an a latronibus obsessus: testamentum facere non potest<sup>2</sup>. Sed et si sui juris sit ignarus, putetque se per errorem, quia a latronibus<sup>3</sup> captus est, servum esse velut hostium: vel legatus, [qui] nihil se a captivo differre putat: non potest fideicommittere certum est: quia nec<sup>4</sup> testari potest, qui, an liceat sibi testari, dubitat. — § 1. Sed si filiusfamilias<sup>5</sup> vel servus<sup>6</sup> fideicommissum reliquerit, non valet; si tamen manumissi decessisse proponantur, constanter dicimus, fideicommissum relictum videri: quasi nunc datum, cum mors ei contingit: videlicet si daraverit voluntas post manumissionem. Hæc utique nemo credit in testamentis nos esse probatos: quia nihil in testamento valet, quotiens ipsum testamentum non valet: sed si alias fideicommissum quis reliquerit. — § 2. Hi, quibus aqua et<sup>7</sup> igni interdictum est, item deportati<sup>8</sup>, fideicommissum relinquere non possunt: quia nec testamenti faciendi jus habent, cum sint ἀπὸ τῆς πόλεως, id est, ex-  
torres. — § 3. Deportati<sup>9</sup> autem eos accipere debemus, quibus principis insulas adnotavit, vel de quibus deportandi scripsit. Cæterum, prius quam factum præsidis comprobet, nondum amissis que civitatem videtur: proinde, si ante decessisset, civis decessisse videtur: et fideicommissum, quod ante reliquerat, quam sententiam pateretur, valet: sed [et] si post sententiam, antequam imperator comprobet, valet quod factum est, quia certum statum usque adhuc habuit. — § 4. A præfectis vero prætorio, vel eo, qui vice præfecti ex mandatis principis cognoscet, item a præfecto urbis deportatos (quia<sup>11</sup> ei quoque epistola D. Severi et imperatoris nostri jus deportandi datum est) statim amittere civitatem: et ideo nec testamenti faciendi jus nec fidei committendi constat habere. — § 5. Si quis plane in insulam deportatus codicillos ibi fecerit; et indulgentia imperatoris restitutus, iisdem codicillis durantiibus decesserit: potest defendi fideicommissum valere, si modo in eadem voluntate duravit. — § 6. Sciendum est autem, eorum fidei committi [quem] posse, ad quos aliquid<sup>12</sup> perventurum est morte ejus: vel dum eis datur, vel dum eis non adimitur. — § 7. Nec tantum proximi bonorum possessoris, verum inferioris<sup>13</sup> quoque fidei committere possumus. — § 8. Sed et ejus, qui nondum natus est [fidei committi] posse, si modo natus nobis successurus sit. — § 9. Illud certe indubitate dicitur, si quis intestatus decedens, ab eo, qui primo gradu ei succedere potuit, fideicommissum reliquerit, si illo repudiante, ad sequentem gradum devoluta sit successio; eum fideicommissum non debere: et ita imperator noster rescripsit. — § 10. Sed et si a patrono sit relictum, et aliquis ex liberis ejus mortuo admissus sit ad bonorum possessionem, idem erit dicendum.

4. L. 2, supr. de legat. 1. — 5. L. 6, in pr. supr. qui testam. facere poss. — 6. L. 19, supr. d. t. — 7. L. 8, § 1, supr. d. t. — 8. d. l. 8, § 2. — 9. L. 17, § 1, infr. de pœnit. — 13. L. 6, § 1, infr. de interdict. et religat. — 11. d. l. 6, § 1. — 12. L. 1, § 17, in fin. infr. ad SC. Trebell. — 13. L. 5, in fin. infr. h. t.

2. GAIUS, [lib. 1 Fideicommissorum].

Ex filio præterito<sup>14</sup>, licet suus heres erit, fideicommissum relinqui non potest.

3. ULPIANUS, [lib. 1 Fideicommissorum].

Si mulier dotem stipulata fuerit, et accepto tulit marito in hoc dotem, ut fideicommissum det: dicendum est, fideicommissum deberi: percepisse enim aliquid a muliere videtur: hæc ita, si mortis<sup>15</sup> causa donatura mulier marito fecit acceptum. Sed et si mortis causa auxerit marito dotem, vel in matrimonium ejus mortis causa redierit, potest dici fideicommissum ab eo deberi. — § 1. Julianus scribit, Si servus mihi legatus sit, eumque manumittere rogatus sim, fideicommissum a me relinqui non posse: scilicet si pure roget: nam si sub conditione, vel in diem, propter fructum medii temporis posse me obligari, nec Julianus dubitaret. — § 2. Si rem quis debeat ex stipulatu ei, cui rem legaverit: fidei committere [ejus] non poterit: licet ex legato commodum sentire videatur, quod dominium nanciscitur statim, nec expectat ex stipulatu actionem, fortassis quis dicat, et sumptum litis, quem sustineret, si ex stipulatione litigaret, eum lucrari: sed nequaquam dicendum est hujus fidei committi posse. — § 3. Sed [et] si habenti tibi proprietatem, usumfructum mortis<sup>16</sup> causa cesserò: potest dici, fidei committere me posse: nec quemquam moveat, quod ususfructus solet morte<sup>17</sup> extinguì: nam medii potius temporis, quo vivat qui donavit, commodum cogitemus. — § 4. Si autem pignus debitoris liberaverò mortis causa, et ejus fidei commisso: non potest valere fideicommissum.

4. PAULUS, [lib. 4 Sententiarum].

A patre vel domino relictum fideicommissum, si hereditas ei non quatur, ab emancipato filio vel servo manumisso utilibus actionibus postulatur: penes eos enim quæsitæ hereditatis emolumentum remanet.

5. ULPIANUS, [lib. 1 Fideicommissorum].

Si fuerit municipio legatum relictum ab his, qui republicam gerunt, fideicommissum dari potest. — § 1. Si quis non ab herede, vel legatario, sed ab<sup>18</sup> heredis, vel legatarii herede fideicommissum reliquerit, hoc valere benignum est.

6. PAULUS, [lib. 1 Fideicommissorum].

Sed etsi sic fideicommissum dederò ab herede meo, *Te rogo, Luci Titii, ut ab herede tuo<sup>19</sup> petas dari Mævio decem aureos*, utile erit fideicommissum: scilicet, ut mortuo Titio, ab herede ejus peti possit: idque et Julianus respondit. — § 1. Sic autem fideicommissum dari non poterit, *Si Stichus Seii factus, jussu ejus hereditatem adierit, rogo det:* quoniam qui sortuito, non judicio testatoris, consequitur hereditatem, vel legatum, non debet onerari: nec recipiendum esse, ut cui nihil<sup>20</sup> dederis, eum rogando obliges.

7. ULPIANUS, [lib. 1 Fideicommissorum].

Si deportati servo fideicommissum fuerit adscriptum, ad fiscum pertinere, dicendum est: nisi si eum deportatus vero testatore alienaverit, vel fuerit restitutus: tunc enim ad ipsum debet pertinere. — § 1. Si miles<sup>21</sup> deportato fideicommissum reliquerit, verius est, quod et Marcellus probat, capere eum posse. — § 2. Si quis creditori suo legaverit id, quod debet, fidei committi eum poterit, nisi commodum aliquod ex legato consequatur<sup>22</sup>: forte exceptionis timore, vel si quod in diem debitum fuit, vel sub conditionem.

8. PAULUS, [lib. 4 Fideicommissorum].

Si legatarius, a quo fideicommissum datum est, petierit legatum: id tantum, quod per judicem exegerit, præstare fideicommissario cogetur: vel, si non exegerit, actione cedere<sup>23</sup>: ad eum enim litis periculum spectare iniquum est, si non culpa legatarii lis perierit. — § 1. Servo heredis fideicommissum utiliter non relinquitur: nisi fidei ejus commiserit, ut servum manumittat. — § 2. Cum ita petisset testator, ut quiddam ex bonis ejus ad patrem pervenisset, filie suæ ita restitueret, ut eo amplius haberet, quam ex bonis patris habitura esset: D. Pius rescripsit, manifestum esse, de eo tempore sensisse testatorem, quod post mortem patris futurum esset.

9. MÆCIANUS, [lib. 1 Fideicommissorum].

Si ita fuerit fideicommissum relictum, ad quemcumque ex testamento

14. L. 24, C. de fideicom. — 15. L. 77, § 1, supr. de legat. 2. — 16. d. l. 77, § 1. — 17. L. 2, § 1, L. 5, § ult.; L. 5, in pr. supr. quib. mod. usufr. emit. — 18. L. 1, § 7, supr. h. t.; L. 15, infr. de liberat. legat. — 19. L. 46, § 1, infr. ad SC. Trebell. — 20. L. 1, § 17, infr. d. t. — 21. L. 5, C. de testam. milit. — 22. L. 5, infr. ad leg. Falcid. — 23. L. 70, in pr. supr. de legat. 2. — 24. L. un. infr. unde vir et uxor. — 25. L. ult. § 1, C. de codicill. — 26. L. 12, C. de fideicom. libert. — 27. § 7, in fin. Inst. de fideicom. hered. — 28. L. 57, § 4, infr. h.

meo, vel ab intestato; vel ita, ad quemcumque quoquo jure bona mea perveniant: hac oratione et ejus, qui postea natus erit, inve familiam venerit; et ejus, qui postea cognatus esse cepertit, fideicommissum videtur; ejus quoque, quæ nondum nupta erit, sed postea, eo casu, quo ex edicto<sup>24</sup> ad uxorem bona mariti intestati solent pertinere.

10. VALENS, [lib. 2 Fideicommissorum].

Si tibi, et ei, qui ex tribus liberis meis in funus meum venerit, centum aureos legavero: non minuitur in tua persona legatum, si nemo venit.

11. ULPIANUS, [lib. 2 Fideicommissorum].

Fideicommissa quoquoque sermone relinqui possunt: non solum latina, vel græca, sed etiam punica, vel gallicana, vel alterius cujuscumque gentis. — § 1. Quotiens quis exemplum testamenti præparat, et prius decedat, quam testetur: non valet quasi<sup>25</sup> ex codicillis, quæ in exemplo scripta sunt: licet verba fideicommissi scriptura habeat: et ita D. Pium decrevisse, Mæcianus scribit. — § 2. Si a quis scripserit, illum tibi commendo<sup>26</sup>: D. Pius rescripsit, fideicommissum non deberi: aliud est enim personam commendare, aliud voluntatem suam fideicommissis heredibus insinuare. — § 3. Cum quis rogatus restituere portionem accepta certa quantitate, responsus est, ultra petere ipsum fideicommissum ab herede posse. Sed utrum, si volet, præcipiet restituere portionem, an vero et si noluerit, cogatur accepta quantitate portionem restituere, propriæ est deliberationis: et sane, cum quis rogatur, accepta certa quantitate portionem restituere, duplex est fideicommissum: unum, ut possit petere quantitatem paratam portione cedere: aliud, ut etsi non petet, tamen<sup>27</sup> cogatur fideicommissario restituere parato præstare quantitatem. — § 4. Si quis ita scripserit, *sufficiam tibi vineæ, vel fundus:* fideicommissum est: quoniam et illud fideicommissum esse arbitramur, contentus<sup>28</sup> esto illa re.

§ 5. Sic fideicommissum relictum, nisi heres meus noluerit, illi decem dari volo: quasi conditionale fideicommissum est, et primam voluntatem exigit: ideoque post primam voluntatem non erit arbitrium heredis dicendi noluisse. — § 6. Hoc autem legatum, cum<sup>29</sup> voluerit, tractum habet, quamdiu vivat is, a quo fideicommissum relictum est: verum si antequam dederit, decesserit, heres ejus præstat: sed [et] si fideicommissarius, antequam heres constituat, decesserit, ad heredem suum nihil transtulisse videtur: conditionale enim esse legatum, nemini dubium est, et pendente conditione legati, videri decessisse fideicommissarium. — § 7. Quanquam autem fideicommissum ita relictum non debeatur<sup>30</sup>, si voluerit<sup>31</sup>, tamen si ita adscriptum fuerit, si fueris arbitratus, si putaveris, si aestimaveris<sup>32</sup>, si utile tibi fuerit visum, vel videbitur, debetur: non enim plenum arbitrium voluntas heredi dedit, sed quasi viro bono commissum relictum. — § 8. Proinde si ita sit fideicommissum relictum, illi si te meruerit<sup>33</sup>, omnimodo fideicommissum debetur: si modo meritum, quasi apud virum bonum, collocare fideicommissarius potuit. Et si ita sit, si te non offenderit, æque debetur. Nec poterit heres causari, non esse meritum, si alius vir bonus et non infestus meritum potuit admittere. — § 9. Hæc verba, *Te fili rogo, ut prædia, quæ ad te pervenerint, pro tua diligentia diligas, et curam eorum agas, ut possint ad filios tuos pervenire*, licet non satis expriment fideicommissum, sed magis consilium, quam necessitatem relinquendi: tamen ea prædia in nepotibus post mortem patris eorum vim fideicommissum videntur continere. — § 10. Si filio a patre herede instituto fideicommissum relictum fuerit: etsi verbis non sit ita relictum, cum pater moreretur, sed intelli hoc possit [puta quia sic relictum est, ut relinquitur filio, vel volo eum habere, vel volo ad eum pertinere], defenditur, in id tempus fideicommissum relictum, quo sui juris filius efficitur. — § 11. Si cui ita fuerit fideicommissum relictum, si<sup>34</sup> morte patris sui juris fuerit effectus, et emancipatione sui juris factus sit: non videri defecisse conditionem: sed et cum mors patri contingat, quasi extante conditione, ad fideicommissum admittitur. — § 12. Si rem suam testator legaverit, camque necessitate urgente alienaverit<sup>35</sup>: fideicommissum peti posse, nisi probetur admovere ei testatorem voluisse: probationem autem mutata voluntatis ab<sup>36</sup> heredibus exigendam. — § 13. Ergo et si nomen quis debitoris exegerit, quod per fideicommissum reliquit, non tamen hoc animo quasi vellet extinguere fideicommissum: poterit dici deberi. Nisi forte inter hæc interest: hic enim extinguitur ipsa quantitas debiti: ibi res durat, tametsi alienata sit. Cum tamen quidam

t. l. 69, in pr. supr. de legat. 2. — 29. L. 41, § 2, infr. h. t.; L. 46, § 4, infr. de fideicom. libert. — 30. Immo vide l. 1, in pr. supr. de legat. 2. — 31. L. 45, § 2, supr. de legat. 2. — 32. L. 75, in pr. supr. d. t. — 33. L. 46, § 3, infr. de fideicom. libert.; L. 20, infr. de manum. testam. — 34. L. 15, infr. quando dies legat. — 35. § 12, Inst. de legat. — 36. Immo vide l. 15, l. 18, infr. de adimend. vel transf. legat.



nomen debitoris exegisset, et pro deposito pecuniam habuisset: putavi fideicommissi petitionem superesse: maxime, quia non ipse exegerat, sed debitor ultro pecuniam obtulerat, quam offerente ipso non potuit non accipere. Paulatim igitur admittemus, etsi ex hac parte pecuniae rem comparaverit, quam non hoc animo exegit, ut fideicommissarium privaret fideicommissio: posse adhuc fideicommissi petitionem superesse. — § 14. Si quis *illicite edificasset* (id est, hoc quod dirui constitutiones jubent), an fideicommissum relinquere ex eo quis possit, videamus? Et puto posse: cum enim dirui necesse sit, nulla dubitatio est, quin senatusconsultum impedimento non sit. — § 15. Si heres rogatus sit *certain summam usuris certis feneratori dare* 57, utile est fideicommissum: sed Macianus putat, non alias cogendum credere, quam idonee ei caveatur: sed ego proclivior sum, ut putem cautionem non exigendam. — § 16. Si servo alieno militia relinquatur, an domino quaeratur legatum, quaeritur? Et aut scit servum esse, et dico aestimationem deberi: aut ignoravit, et denegari fideicommissi persecutio debet: quia si scisset servum, non reliquisset. — § 17. Ex his apparet, cum per fideicommissum aliquid relinquatur, ipsum praestandum quod relictum est: cum vero ipsum praestari non potest, aestimationem esse praestandam. — § 18. Si quis *decem* alicui per fideicommissum reliquerit; et, si 38 perdidisset id quod testamento relictum est, rursus ei reliquerit: quaerebatur, an sequens fideicommissum valeat: vel an exigere heres debeat cautionem, *sava fore decem*, ne cogatur ad praestationem: et an si saepius perdidisset, saepius ei sarciretur fideicommissum? D. Pius rescripsit, neque cautionem exigendam: et non amplius, quam semel postquam perdidisset, praestandum; non enim onerandus est heres, ut in infinitum, quotiens perdidisset, restituere ei tantumdebeat: sed ut per fideicommissum posterius duplicata ejus legata videantur: nec amplius ad periculum heredis pertineant, si quid postea is consumperit, exsoluto et posteriore fideicommissio. — § 19. Item si quis certam quantitatem cui reliquerit, et addiderit, *facilius hanc summam posse compensari, cum debitor sit fideicommissarius ex causa hereditatis Gaii Seii*; nec velit ille hereditatem adire Gaii Seii, sed petat fideicommissum: imperator noster, contra voluntatem eum testantis petere fideicommissum rescripsit: cum in fideicommissis praecipue spectanda servandaque sit testatoris voluntas 39. — § 20. Plerumque evenit, multorum interesse id quod relinquatur: verum testatorem uni voluisse honorem habitum; et est haec sententia Marcelli verissima. — § 21. Sic evenit, ut interdum, si pluribus testator honorem habere voluit et de pluribus sensit, quamvis unum legatum sit, tamen ad persecutionem ejus plures admittantur: ut puta si decem fuerunt ejusdem rei stipulandi, et heres vel fideicommissarius rogatus est, *ut eis solveret*: hic enim, si omnium interest, et de omnibus sensit testator, fideicommissum relictum omnes petere poterunt. Sed utrum in partem agent, an in solidum, videamus? Et credo, prout cuiusque interest, consequentur: unus igitur, qui occupat, agendo totum consequitur, ita ut caveat, *defensu iri adversus ceteros fideicommissarios eum, qui solvit*, sive socii sunt, sive non.

§ 22. Interdum alterius nomen scribitur in testamento, alteri vero fideicommissi petitio, vel legati competit: ut puta si fidei heredis committatur, *ut ipse publicum pro Titio praestet*, fideicommissum hoc vel legatum non 41 publicianus petit, licet ei sit adscriptum, sed ipse petere poterit, pro quo legatum relictum est. Multum autem interesse arbitror, cui volet prospectum, cuiusque contemplatione testator fecerit? Plerumque autem intellegendum est, privati causa hoc fecisse, licet emolumentum publicano quaeratur. — § 23. Si *in opere civitatis faciendo* aliquid relictum sit, unumquemque heredem in 42 solidum teneri, D. Marcus et Lucius Verus Proculae rescripserunt: tempus tamen coheredi praestituerunt, intra quod mittat ad opus faciendum: post quod solum Proculam voluerunt facere, imputatam coheredi sumptum pro parte ejus 43. — § 24. Ergo et in statua, et in servitute, ceterisque, quae divisionem 44 non recipiunt, idem D. Marcus rescripsit. — § 25. Si quis *opus facere* jussus, paratus sit pecuniam dare reipublicae, ut ipsa faciat, cum testator per ipsum id fieri voluerit, non audietur: et ita D. Marcus rescripsit.

12. VALENS, [lib. 1 Fideicommissorum.]

*Stichus liber esto, et ut eum heres artificium doceat, unde se tueri possit, peto*: Pegasus inutile fideicommissum esse ait: quia genus artificii adjectum non esset: sed praetor, aut arbiter ex voluntate 45 defuncti, et aetate, et conditione, et natura, ingenioque ejus, cui relictum erit,

37. L. 108, in fin. supr. de legat. 1. — 38. L. 1, § 11, infr. ut legator. — 39. L. 7, in fin. infr. de suppellectile legat. — 40. L. 4, supr. h. l. § 11, infr. de legat. 1. — 41. L. 59, § 2, supr. d. t. — 42. *Immo vide* L. 49, § ult. supr. de legat. 2. — 43. L. 50, in fin. infr. ad leg. Falcid. — 44. L. 72, in pr. infr. de verb. oblig. — 45. L. 7, c. de fideicom. — 46. *Immo vide* L. 108, § 7, supr. de legat. 1. — 47. L. 65, in fin. infr. de condit. et demonstr. — 48. *Obst.* L. 22, infr. d. t. — 49. L. 8, § 6, supr. de condit. instit. — 50. L. 50, in fin. infr.

statuet, quod potissimum artificium heres docere eum sumptibus suis debeat.

13. MACIANUS, [lib. 2 Fideicommissorum.]

Si sic locutus erit testator, *heres meus illi fundum dato: Seio hoc amplius decem*: non erit dubitandum, quin Seius et fundi partem 46, et decem ex testamento percipere debeat.

14. GAIVS, [lib. 1 Fideicommissorum.]

Non dubium est, quin, si uxori legatum sit, *si non 47 nupserit*, idque alii restituere rogata sit, cogenda 48 est, si nupserit, restituere. — § 1. Heres quoque, cui jurijurandi 49 conditio remittitur, legatum et fideicommissum debet. — § 2. Sed si cui legatum relictum est, *ut alienam rem redimat, vel praestet*: si redimere 50 non possit, quod dominus non vendat, vel immodico 51 pretio vendat: justam aestimationem inferat.

15. MACIANUS, [lib. 2 Fideicommissorum.]

Haec res testatoris legatae, quae in profundo esse dicuntur, quandoque apparuerint, praestantur.

16. POMPONIVS, [lib. 1 Fideicommissorum.]

Saepe legatum plenus 52 restituitur fideicommissario, quam esset relictum: veluti si alluvione ager auctus esset, vel etiam insula natae.

17. MACIANUS, [lib. 2 Fideicommissorum.]

Etiam ea, quae futura 53 sunt, legari possunt: ut insula vel in mare, vel in fluminibus enata. — § 1. Servitus 54 quoque servo praedium habenti recte legatur.

18. POMPONIVS, [lib. 1 Fideicommissorum.]

Si jure testamento facto fideicommissum tibi relinquero, deinde postea aliud fecero non jure, in quo fideicommissum relictum tibi, vel aliud, quam quod priore testamento, vel omnino non sit relictum: videndum est, mens mea haec fuerit facientis postea testamentum, ut nolim ratum tibi sit priore testamento relictum: quia nuda 55 voluntate fideicommissa infirmantur? Sed vix id obtinere potest: fortassis ideo, quod ita demum a priore testamento velim recedi, si posterius valiturum sit: et nunc ex posteriore testamento fideicommissum ei non debetur, etiamsi iidem heredes utroque testamento instituti, ex priori existerent.

19. VALENS, [lib. 5 Fideicommissorum.]

Si tibi legatum est, vel fideicommissum relictum, *ut quid facias*: etiamsi non interest heredis id fieri, negandam tibi actionem, si non caveas heredi futurum, quod defunctus voluit, Nerva et Attilicinus recte putaverunt.

20. ULPIANUS, [lib. 6 Fideicommissorum.]

Si res mihi per fideicommissum relicta, eadem tibi legata, vel per fideicommissum relicta sit, non communicandi animo, sed utrique in solidum: ambigendum non est, si alteri sit soluta, alterum nullum quidem jus in ipsam rem habere, sed actionem de pretio integram eum habere.

21. PAULUS, [lib. 4 Sententiarum.]

Nutu 56 etiam relinquatur fideicommissum: dummodo is nutu relinquat, qui et loqui potest 57, nisi superveniens morbus ei impedimento sit. — § 1. Fideicommissum relictum, et apud eum, cui relictum est, ex causa lucrativa 58 inventum, extingui placuit: nisi 59 defunctus aestimationem quoque ejus praestari voluit. — § 2. Columba adium vel tignis per fideicommissum relictis, ea tantummodo amplissimis ordo praestari voluit, nulla aestimationis facta mentione, quae sine domus injuria auferri possunt.

22. HERMOGENIANUS, [lib. 4 juris Epitomarum.]

Si quis in principio testamenti adscripserit, *cui bis legavero, senel deberi volo*, postea eodem testamento, vel codicillis sciens saepe eidem legaverit: suprema voluntas potior habetur: nemo enim eam sibi potest legem dicere, ut a priore ei recedere non 60 liceat. Sed hoc ita locum habebit, si specialiter dixerit, *prioris voluntatis sibi penituisse, et voluisse, ut legatarius plura legata accipiat*. — § 1. Miles 61, in eum ex militari delicto capitali dicta sententia, permittente eo in ipsa sententia qui damnavit, sicut testamenti faciendi, ita fideicommissi relinquendi potestatem consequitur. — § 2. Mortis damnum per fideicommissum servi relictum, antequam mora fiat fideicommissarius solus 62 patitur: licet alienus relinquatur.

h. t. — 51. L. 51, § 4, infr. de fideicom. libert. — 52. L. 3, in pr. infr. de instruet. vel instrum. legat. — 53. L. 24, in pr. supr. de legat. 1. — 54. L. 4, in pr. supr. d. t. L. 5, infr. de servit. legat. — 55. L. 3, § fin. infr. de adimend. vel transfer. legat. — 56. L. 22, c. de fideicommissis. — 57. L. 10, c. qui testam. — 58. L. 108, § 4, supr. de legat. 1. § 6, Inst. de legat. — 59. L. 54, § 3, supr. de legat. 1. — 60. L. 7, § 8, supr. de donat. inter vir. et uxor. — 61. L. 52, § 5, supr. d. t. L. 11, in pr. supr. de testam. milit. — 62. L. 114, in fin. supr. de legat. 1.

23. PAULUS, [lib. 3 Sententiarum.]

Ex 63 imperfecto testamento legata vel fideicommissa imperatorem vindicare, inverecundum est: decet 64 enim tantae majestati, eas servare leges, quibus ipse solutus esse videtur.

24. NERATIUS, [lib. 2 Responsorum.]

Creditori ita potest legari, ne indebitum ab eo repeteretur.

25. PAULUS, [lib. 1, ad Neratium.]

Ille, aut ille heres Seio centum dato: potest Seius, ab utro 65 velit, petere. — § 1. Cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quaestio.

26. Idem, [lib. 2, ad Neratium.]

Is, qui fideicommissum debet, post moram 66 non tantum fructus, sed etiam omne damnum, quo adfectus est fideicommissarius, praestare cogitur.

27. Idem, [lib. 2 Decretorum.]

Paula Callinico ex parte herede instituto, filiae ejusdem Jumentianae, cum in familia nupisset, decem testamento legavit; deinde post tempus codicillis factis, centum eidem Callinico reliquerat, non adjecto *hoc amplius*: pronuntiavit utramque summam deberi: maxime cum in codicillis filiae Callinici nihil legatum fuisset. — § 1. Pompeius Hermippus filium Hermippum ex dodrante, filiam Titianam ex quadrante heredes instituerat, et praedia certa singulis prelegaverat: praeterea, *si sine liberis Hermippus moreretur, aliam possessionem filiae dari* jusserat: post testamentum factis codicillis, filiae certa praedia dederat, eamque his contentam esse voluit pro omni hereditate, et his, quae in testamento reliquerat: Hermippi bona ad fiscum pervenerant: Titiana soror fideicommissum petebat: quaerebatur utrum pro hereditate tantum, an et pro his, quae post mortem frater rogatus erat restituere, pater eam voluisset accipere ea, quae codicillis reliquerat: mihi ab omni voluntate recessum videbatur: placuit humanius interpretari, ea sola, quae vivente fratre acceptura erat, adempta videri: non etiam quae post mortem ejus reliquerat, *si sine liberis decederet*: et ita pronuntiavit. — § 2. Julianus Severus decedens, instituit quibusdam heredibus, alumno suo quinquaginta legaverat, eaque Julio Mauro colono suo, ex pensionibus fundi debitis ab eo praestari voluerat, eidemque Mauro quaedam legaverat: cum de hereditate fiscus quaestionem movisset, jussu procuratoris Maurus pecuniam fisco solverat; postea heres scriptus obtinuerat fiscum: alumno autem mortuo, heres ejus fideicommissum ab herede Mauri petebat: placuit imperatori, non videri ejus fideicommissum, sed demonstratum, unde accipere posset: et ideo heres Severi haec praestare debet.

28. Idem, libro singul., ad senatusconsultum Tertullianum.

Si fidei meae committatur, *ut quod mihi relictum fuerit supra quod capere possum, alii restituam*, posse 67 me id capere constat.

29. LABEO, lib. 2 posteriorum a Javoleno Epitomatorum.

Qui concubinam habebat, ei vestem prioris concubinae utendam dederat; deinde ita legavit, *vestem, quae ejus causa empti, parata esset*: Cascellius, Trebatius, negant ei deberi prioris concubinae causa parata: quia alia conditio esset in uxore. Labeo id non probat: quia in ejusmodi legato non jus uxorium sequendum, sed verborum interpretatio esset facienda. Idemque vel in filia, vel in qualibet alia persona juris esset. Labonis sententia vera est. — § 1. Cum ita legatum esset, *ut Titia uxor mea tantandem partem habeat, quantum unus heres*: si non aequales partes essent heredum, Quintus Mucius et Gallus putabant, maximam partem legatam esse; quia in majore minor quoque inesset: Servius, Oblius, minimam; quia cum heres [dare] damnatus esset, in 68 potestate ejus esset, quam partem daret: Labeo hoc probat: idque verum est. — § 2. Cum ita legatum esset, *quantum pecunia ex hereditate Titii ad me pervenit, tantum pecuniam heres meus Seio dato*: id legatum putat Labeo, quod acceptum in tabulis suis ex ea hereditate testator retulisset: ceterum negat cavendum heredi a legatario, si quid forte postea ejus hereditatis nomine heres damnatus esset. Ego contra puto: quia non potest videri pervenisse ad heredem, quod ejus hereditatis nomine praestaturus esset. Idem Alfenus Varus Servio placuisse scribit: quod et verum est. — § 3. Si heres tibi, servo generaliter legato, Stichum tradiderit, isque a te evictus 70 fuisset: posse te ex testamento agere, Labeo scribit: quia non 71 videtur heres dedisse, quod ita dederat, ut habere non possis: et hoc verum puto; sed hoc amplius ait, debere te, prius quam iudicium

63. L. 3, c. de testam. — 64. L. 4, c. de legib. — 65. L. 8, § 1, supr. de legat. 1. — 66. L. 83, supr. d. t. L. 8, L. 59, supr. de usur. L. 18, in pr. infr. ad SC. Trebell. — 67. L. 41, supr. de legat. 2. L. 16, § 15, infr. ad SC. Trebell. — 68. L. 43, in fin. supr. de legat. 2. — 69. L. 97, infr. de verb. sign. — 70. L. 71, § 1, supr. de legat. 1. L. 58, supr. de evict. — 71. L. 5, in pr. supr. de act. empt. L. 45, § 1, supr. de legat. 1. — 72. L. 49, in fin. supr. d. t. — 73. L. 5, § 1, § 2, supr. d. t. L. 68, in pr. supr. pro socio. — 74. L. 34, § 4, supr. de legat. 2. L. 8, infr. de condit. et demonstr. — 75. L. 14, in fin. supr. h. t. § 4, Inst. de legat.

accipiatur, denunciare heredi: nam si aliter feceris, agenti ex testamento opponetur tibi doli mali exceptio. — § 4. *Si Stichus et Dama, servi mei, in potestate mea erunt, cum moriar, tum Stichus et Dama liberi sunt, et fundum illum sibi habento*: si alterum ex his post testamentum factum dominus alienasset, vel manumisisset, neutrum liberum futurum Labeo putat: sed Tubero eum, qui remansisset in potestate, liberum futurum, et legatum habiturum putat. Tuberonis sententiam voluntati defuncti magis puto convenire.

30. Idem, [lib. 2 posteriorum a Javoleno Epitomatorum.]

Qui quatuor pocula oleaginea habebat, ita legavit, *pocula oleaginea paria duo*: respondi, unum par legatum esse: quia non ita esset, *бина пария*; neque ita, *пoculorum paria duo*: idem et Trebatius. — § 1. Qui hortos publicos a republica conductos habebat, *eorum horiorum fructus usque ad lustrum, quo conducti essent, Aufidio legaverat: et heredem eam conductionem eorum horiorum et dare damnaverat, sinereque uti eum, et frui*: respondi, heredem teneri sinere frui: hoc amplius, heredem mercedem quoque horiorum reipublica praestaturum. — § 2. Cum testamento scriptum esset, *Sticho servo meo heres quinque dato, et si Stichus heredi meo biennium servierit, liber esto*: post biennium legatum deberi existimo: quia in id tempus et libertas et legatum referri deberet: quod et Trebatius respondit. — § 3. *Si fundum mihi vendere 72 certo pretio damnatus es, nullum fructum ejus rei ea venditione excipere tibi liberum erit*: quia id pretium ad totam causam fundi pertinet. — § 4. Qui fundum mandatu meo in societate mihi et sibi emerat, deinde eum finibus diviserat, et prius quam mihi traderet, ita eum tibi legaverat, *fundum meum illi do*: negavi, amplius partem 73 deberi: quia verisimile non esset, ita testatum esse patremfamilias, ut mandati heres ejus damnaretur. — § 5. *Uxori meae, dum cum 74 filio meo Capuae erit, heres meus ducenta dato*: filius a matre migravit: si ambo Capuae habitassent, legatum matri debitu iri putavi; quamvis una non habitassent: sin autem in aliud municipium transissent, unius anni tantummodo debitu iri, quo una habitassent, quantolibet tempore, Trebatius ait; videamus, an his verbis, *dum cum filio Capuae erit*, non conditio significetur, sed ea scriptura pro supervacuo debet haberi: quod non proba; sin autem per mulierem mora non est, quo minus cum filio habitet: legata ei deberi. — § 6. *Si aedes alienas ut dares damnatus sis, neque eas ulla 75 conditione emere possis*: aestimare iudicem oportere, Atteius scribit, quanti aedes sint, ut pretio soluto, heres liberetur. Idemque juris est, et si potuisses emere, non emeresset.

31. Idem, lib. 1 Pithanorum a Paulo Epitomatorum

Si cui aedes legatae sint, is omne habebit id aedificium, quod solum earum aedium erit. Paulus: Hoc tunc demum falsum est, cum dominus [aedium] binarum aliquid conclave, quod supra concamerationem alterarum aedium esset, in usum alterarum convertit, atque ita his usus fuerit: namque eo modo alteris aedibus id accedet, alteris decedet.

32. SCEVOLA, [lib. 14 Digestorum.]

Sextiam filiam ex quadrante, ex reliquis Seium et Marcium sororis filios scripsit heredes: Sextiam substituit Marcio et Marcium Sextiae: dedit autem per praceptionem Marcio certas species: Marcium partem hereditatis, ex qua scriptus erat, omisit: et eo intestato defuncto, bona ejus ad fratrem legitimum Seium devoluta sunt: quaesitum est, an Sextia ex substitutione etiam haec, quae praelegata Marcio erant, jure substitutionis a legitimo herede defuncti sibi vindicare possit? Respondit, secundum ea quae proponerentur, Sextiam in legatis, quae Marcio data sunt, substitutam non esse.

33. Idem, [lib. 15 Digestorum.]

Uxori suae inter caetera ita legavit, *et domus eam partem, in qua morari consuevimus*: quaesitum est, cum tam testamenti faciendi tempore, quam mortis, totam domum in usu habuerit, nec quicquam ex ea locatum: an ea tantummodo videtur legasse cubacula, in quibus dormire consueverat? Respondit, eam omnem partem, in qua morari cum familia sua consuevisset. — § 1. Uxori suae inter caetera ita legavit, *uxori meae quidquid vivis dedi, donavi, usibusque ejus comparavi, concedi volo*: quero, an quod post testamentum factum ei donatum est, id quoque concessum videatur? Respondit, verba quae proponerentur, nihil pro futuro [tempore] significare. — § 2. Cum Seius pro uxore centum aureos creditori solverit, et ornamentum pignori positum fuerit, postea autem testamento facto uxori suae legavit *quidquid ad eum, in ve stipu-*

71. L. 5, in pr. supr. de act. empt. L. 45, § 1, supr. de legat. 1. — 72. L. 49, in fin. supr. d. t. — 73. L. 5, § 1, § 2, supr. d. t. L. 68, in pr. supr. pro socio. — 74. L. 34, § 4, supr. de legat. 2. L. 8, infr. de condit. et demonstr. — 75. L. 14, in fin. supr. h. t. § 4, Inst. de legat.